



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

15. Ad jugem &c. Confirmatio Privilegiorum Ordinum Mendicantium Anno
1442.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

ANNO
1442.

Filio nostro Regi Franciæ Illustri, & dilectis Filiis Nobilibus Viris ejus Regni Ducibus ac ceteris Universitatibus, ut dogma id verum, quod latius erit diffusum, eo commodius bonos & quæ Dei sunt sentientes repleat & lætificet, eos autem qui aut seducti ab iniquis aut suo infortunio minus rectè saperent, vel instruat & respicere faciat vel confundat. Amplectatur itaque vestra Dèvotio rem dignissimam, & quod hætenus probe fecistis, nostram & Sedis prædictæ auctoritatem contra malignos perfidosque homines tueatur.

Datum Florentiæ Anno Incarnationis Domini cæ Milleesimo quadringentesimo quadragésimo primo. Nonas May, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

N. de Cremonensibus.

XV.
Ex Hist.
Univerſit.
Parif. Bui.
læi, Tom.
5. p. 524.

Confirmatio Privilegiorum Ordinum Mendicantium: Anno 1442.

EUGENIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

AD jugem divinæ scientiæ & Sacræ Theologiæ propagationem, ut peculiare illius Studium ad salubrem fidelium ædificationem undique suos funiculos longiores efficiat, continuas nostræ meditationis sollicitudines impendimus, ac illis, quæ propterea singulis sublati dispensis profutura fore conspicimus, favores Apostolicos diffusius impertimur.

Sanè pro parte Dilectorum Filiorum Generalium & F. F. Minorum, Prædicatorum, Eremitarum St. Augustini & Carmelitarum Ordinum Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet juxta antiquas & laudabiles, dudum etiam à tanto tempore, cujus contrarii non existit memoria, in Facultate Theologiæ Universitatis Studii Parisiensis inconcusse observatas consuetudines, singuli dictorum Ordinum Fratres, qui pro felici dicti Studii Theologiæ continuatione & salutari consummatione per Generalia cujuscumque ex dictis Ordinibus Capitula, vel per suos Generales, aut eorum Vicarios, seu alios ad id sufficientem potestatem habentes ad Universitatem Paris. missi & ad legendum Biblia publicè deputati & assignati fuerunt, si per Deputatos Facultatis Theologiæ dictæ Universitatis ad hoc reperti fuerint sufficientes, soluti Juribus ejusdem Facultatis sine mora alicujus præcedentis temporis ad legendum Biblia publicè hujusmodi ab eadem Facultate admissi & recepti sive acceptati fuissent. Nec non illi qui simili modo ad legendum Sententias deputati fuerunt, sine alicujus præcedentis temporis acquisitione, sine Bibliorum lectura, sine cursibus & absque ulla ipsorum cursum per solutione, ab ipsa Facultate ad legendum Sententias, sive librum Sententiarum admissi extiterunt: & postquam dicti Fratres Baccalarei formati in dicta Theologia facti fuerunt, quilibet ex eisdem Ordinibus Regens unum ex dictis Baccalareis pro obtinenda Sententia in dicta Theologia Cancellario Ecclesiæ Parisiensis præsentare consuevit, ipseque Baccalareus sic præsentatus ad immediatam sequentem tunc Sententiam, licet etiam statuti temporis, videlicet 5. Annorum, dum tamen bis de ordinario respondisset, spacium non complevisset,

ANNO
1442.

protinus admissi extitissent, & ex præmissis plurimi dictorum Ordinum Fratres in eadem Theologia legendo & disputando, multipliciter profecerunt, ac plura exinde Deo grata & hominibus accepta bona successerunt; Tamen à multis annis citra nonnullis ex Facultate Theologiæ Universitatis hujusmodi dictis Fratribus, ac Ordinibus, eorumque utilitati se opposcentes, ita fecerunt, ut eis exinde multa dispendia provenire noscantur. Pro parte Generalium & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut super iis providere opportunè de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos itaque uberes & commendabiles, quos dicti Fratres dudum in Dei Ecclesiâ afferunt fructus, propensius attendentes, ac eorum statui, ac indemnitate in præmissis opportunè consulere cupientes, ac observandas fuisse & in futurum perpetuè observari debere censentes, ac decernentes, præsentis perpetuè valituræ & irrefragabiliter observandæ Constitutionis Edicto, eadem auctoritate sancimus, statuimus & ordinamus, quod deinceps perpetuis futuris temporibus omnes & singuli dictorum Ordinum Fratres, qui pro continuatione & consummatione Studii Theologiæ hujusmodi per aliqua ex Generalibus dictorum Ordinum Capitula, vel eorum aliquod, aut per suos Generales, vel eorum Vicarios, seu quoscumque alios sufficientem ad id potestatem habentes ad dictam Universitatem missi, & ad legendum inibi Biblia publicè deputati & assignati fuerint, ac per dictos Deputatos Facultatis Theologiæ ad hoc sufficientes & idonei reperti fuerint, *Soluti Juribus ejusdem Facultatis indilate, & absque alicujus præcedentis temporis mora ad legendum Biblia publicè hujusmodi; necnon illi, qui simili modo ad legendum Sententias deputati fuerint, nulla cujusvis temporis expectatâ morâ, sine lectura Bibliorum, sine cursibus, & absque ulla ipsorum cursum per solutione ad legendum Sententias, sive librum Sententiarum à dicta Facultate, omnibus contradicitione & difficultate penitus cessantibus, liberè admittantur & admitti debeant, ac postquam dicti Fratres formati in eadem Theologia Baccalarei fuerint, quilibet ex eisdem Ordinibus Regens unum ex dictis Baccalareis pro obtinenda Licentia in dicta Theologia prædicto Cancellario præsentet, & præsentare debeat, ipseque Baccalareus sic præsentatus ad immediatam tunc sequentem Licentiam, licet statuti temporis videlicet 5. annorum spacium non compleverit, dum tamen bis de ordinario responderit, sine aliqua contradicitione protinus liberè admittatur. Mandantes nihilominus Cancellario dictæ Ecclesiæ pro tempore existenti, nec non Universis Doctoribus, Magistris & Scholarius dictæ Facultatis, eisque & eorum cuilibet in virtute S. Obedientiæ, ac in suorum remissionem peccaminum districtè præcipiendo injungentes, quatenus Sanctionem, Statutum, & Ordinationem prædicta efficaciter observent, & ab omnibus faciant observari: ac decernentes irritum & inane, si secus super iis à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.*

Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ecclesiæ, Universitatis, Facultatis & Ordinum prædictorum confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate hætenus, vel in posterum roboratis statutis & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque, quibus per præsentem volumus derogari.

Nulli ergo &c. Datum Florentiæ, Anno Incarnationis Domini cæ 1442. 3. Kalend. April. Pontificatus nostri Anno 12.

Instira-